

# Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Terentius,|| A` M. Antonio Mvreto|| locis prope  
innumerabilibus|| emendatus.||**

**Terentius Afer, Publius**

**Venetiis, 1558 [erschieden] 1559**

Scena VII.

[urn:nbn:de:gbv:45:1-723936](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:45:1-723936)

A D E L P H I

Perreptaui usque omne oppidum ad portam, ad lacum,  
 Quò non? neque fabrica ulla erat, neque fratrem homo  
 Vidisse aiebat quisquam. nunc uero domi  
 Certum obsidere est usque, donec redierit.

ACTVS QVARTI SCENA VII.

MITIO, D E M E A.

- Mi. Bo, illis dicam nullam esse in nobis moram.  
 De. i Sed ecum ipsum. te iam dudum quero Mitio.  
 Mi. Quidnam? De. fero alia flagitia ad te ingentia  
 Boni illius adolescentis. Mi. ecce autem. De. noua,  
 Capitalia. Mi. ohe, iam. De. nescis qui uir sit. Mi. scio.  
 De. Ah stulte, tu de psaltria me somnias  
 Agere? hoc peccatum est in uirginem ciuem. Mi. scio.  
 De. Eho, scis, & patere? Mi. quid ni patiar? D. dic mihi.  
 Non clamas? non insanis? Mi. non. malim quidem.  
 De. Puer natus est. M. dij bene uortant. D. uirgo natiua  
 habet.  
 M. Audiui. De. & ducenda indotata est? Mi. scilicet.  
 De. Quid nunc futurum est? M. id enim, quod res ipsa fert.  
 Illinc huc transferetur uirgo. D. o iupiter,  
 Istocchine pacto oportet? Mi. quid faciam amplius?  
 De. Quid facias, rogitas? si non re ipsa tibi dolet,  
 Simulare certe est hominis. Mi. quin iam uirginem  
 Despondi: res composita est: fiunt nuptiae:  
 Dempfi metum omnem: haec magis sunt hominis. D.  
 ceterum  
 Placet tibi factum Mitio? Mi. non, si queam

Mutat.

Mutare : uunc , cum non queo , æquo animo fero .

Ita uita est hominum , quasi , cum ludas tesseris ;  
 Si illud , quod est maxime opus iactu , non cadit ,  
 Illud , quod cecidit forte , id arte ut corrigas .

De. Corrector : nempe tua arte uiginti minæ

Pro psaltria periere : quæ , quantum potest ,

Aliquò abijcienda est , si non pretio , at gratijs .

Mi. Neque est , neque illam sane studeo uendere .

De. Quid igitur facies ? M. domi erit. D. pro diuum fidem ,  
 Meretrix , & mater familias una in domo ?

Mi. Cur non ? De. sanum ne te credis esse ? Mi. equidem  
 arbitror .

De. Ita me dij ament , ut uideo ego tuam ineptiam ,  
 Facturum credo , ut habeas quicum cantites .

Mi. Cur non ? De. & noua nupta eadem hæc discet ? Mi.  
 scilicet .

De. Tu inter eas restim ductans saltabis . Mi. probe :

Et tu nobiscum una , si opus sit . De. hei mihi ,

Non te hæc pudent ? Mi. iam uero omitte Demea

Tuam istanc iracundiam , atque ita , uti decet ,

Hilarum , ac lubentem fac te in nati nuptijs .

Ego hos conueniam , post huc redeo . De. o Iupiter .

Hancine uitam ? hoscine mores ? hanc dementiam ?

Vxor sine dote ueniet : intus psaltria est :

Domu' sumptuosa : adolescens luxu perditus :

Senex delirans : ipsa , si cupiat , salus

Seruare prorsus non potest hanc familiam .